


Johannes Assuerus Ampzing

Nasturtium D. Joannis Assueri Ampsingii, contra Strygnium Jacobi Durfeldii ...

Rostochi[i], 1528 [i.e. 1628]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729959317>

Druck Freier  Zugang



3 3933.

Fg-3933.



Nasturtium
D. JOANNIS
ASSVERI
Ampsingij,

contra,

Strygnium

JACOBI DURFELDII
Philippomastigis, Magistri Mendaciorum & sacrae Mattæologiae
Studioſi.



Prov. 26, 4. 5.

Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam : ne efficiaris ei similis.

Responde stulto juxta stultitiam suam : ne sibi sapiens esse videatur.


ROSTOCHI Anno 1528.

59-3933.

1628?



1290



Hec or benevole, pervenit ad manus meas Scriptum quoddam Jacobi Duerfeldij, cui titulus Admonitio &c. missum ab amico quodam meo, cū additā admonitiunculā ne injuriam contumeliāq; quā in eo scripto ista me Calumniator asperserat, relinqverem inultā. Quid facerem? Scriptum ipsum legendo percurri, & mecum ipse aliquanto accuratius perpēdi hęc quinq; Capita. 1. Per quosnam cuniculos iste Author irrepserit in hoc Vitilitigium. 2. Quodnam in eo argumentum tractet. 3. Quanam methodo & modo. 4. Quonam sine. 5. Num mihi respondendum & quomodo?

CAPUT I.

Cuniculos primā statim fronte animadvertēbam, pēdebat (quæ hodieq; pēdet) lis mea cum Adversariis meis Theologis nonnullis, produxerant illi Mense Octobri 1627. Scriptum, quod quia titulo carebat, Vescas seu Arancorum telas inscripsi, miseruntq; v. Novemb. & jusserunt per Se-

cretarium Academicum, ut intra 14. dies re-
 sponderem. Mirabar tantam urgendi im-
 portunitatem, jacebam lecto affixus, cum
 morbo longo & chronico conflictatus, quid
 facerem? manum egram gemebundus jacens
 in lecto, calamo & calamum papyro admo-
 vebam, & Responsum concinnabam, cui titu-
 lum feci Scopas Vescarias. quibus vescas eo-
 rum seu telas araneorum everrerem. Sed
 & simul Responsum eine Rechtsbelehrung,
 quod à Facultate Theologica Gryphiswal-
 densi emendicârant ex practicarantq; (precor
 verbo veniam) refutabam, & refutatio-
 nem nomine Collyrij inscribebam. Hec
 duo Responsa mea conjunctim producebam,
 & in manus Dn. Judicis tradi curabam
 20. Novemb. 1627. cum adjuncta supplica-
 tione.

Hinc jã videre promptum est, quo fine Re-
 sponsum meum tam importunè efflagitârint,
 nempe ut illud darent huic suo Crepitiaculo
 & Arcadico tibicini sugillandum, qui inde
 mendacia, calumnias, sycophãtias adversum
 me colligeret, ipsis interim meis Adversarijs
 feriantibus: poterat negotium hoc moram
 ferre, poteratq; D. Quis torpius meus Adver-
 sarius

sarius, ob onus Reſtoratus, quod hoc Semeſtri portat, laborē hunc differre, donec paucis poſt menſibus eo liberatus, ipſe reſpondiſſet; ſed maluerunt hoc compendio uti, quo & ipſi ſeſe à labore ulterius reſpondendi liberarent, & ſimul huic homini gratificarentur, qui indè vanam aliquam gloriolam aucuparetur, & commodum aliquod captaret. Unde & mihi haud obſcure conſilium ſuggeritur, viciffim ſerpentinâ prudentiâ utendi, & pari pari referendi, de quo poſt cap. 5. dicam.

CAPUT II.

Argumentum ſeu Subjectum Tractationis ponitur in Titulo duplex, nempe de Libero arbitrio & Baptiſmo. In utroq; prodiſt Vitilitigator non modò animum mentien- di & calumniandi cupidum, verùm etiam inſcitiam ſuam.

Aſſerueram in Intimationibus meis cum Auguſtino & Eraſmo Gratiam Creationis. Aſſerueram præterea cum Johan Arene Theologo illo verè practico, Gratiam Expectantem, Gratiam prævenientem, Gratiam Suſcipientem, & Gratiam Conſervantem. Vid. Intimat. uxoris Chriſtiani von Münſter.

Ex his Gratia Præveniens, hominis Conversionem antecedens complectitur sub se Gratiã Creationis, Gratiã Excitantẽ Gratiã Adjuvantem, quam in Conversione ipsa, mox Gratia Suscipiens & Gratum faciens consequitur & hanc subsequitur Gratia conservans. Unde Psal. 48. Misericordia ejus præveniet me, & Psal. 22. Misericordia tua subsequetur me. Et Augustinus Enchrid. cap. 32. Nolentem prævenit ut velit, Volentem subsequitur, ne frustra velit. Et Gregorius Homil. 9. in Ezech. Nos prævenit ut velimus & volentes subsequitur ne inaniter velimus. Et rursus Augustinus lib. de Nat. & Grat. cap. 32. Prævenit ut sanemur, & subsequitur ut sanati vegetemur: prævenit ut vocemur, & subsequitur ut glorificemur: prævenit ut piè vivamus, & subsequitur ut cum illo semper vivamus.

Accuratior Gratiarum divisio est apud Scholasticos, in Æternam & Temporariam Temporarie in gratis datam & gratum facientem. Gratum facientis in permanentem & auxiliij specialis. Gratia auxiliij specialis in auxilium excitans & adjuvans. Auxilij in auxilium sufficiens & efficax. Efficacis in

GRA-

5.
gratiam operantem & cooperantem. Quae
omnia latius prosequi, non est hujus loci. Non
enim locos Communes conscribo, sed disputo
cum Vitiligatore.

Syndrome ergo & concursus gratiarum
illarum, quas Gratia praeveniens suo com-
plexu comprehendit, est instar fomitis ad
ignem Spiritus S. in Conversione, concurren-
te novâ ejusdem gratiâ recipiendum.

Hanc sententiam probaveram ex Paulo
Epist. ad Rom. cap. 1. & 2. probaveramq; au-
thoritate Philippi. Vide in Scopis vesca-
rii Assert. 9. & 10. Quae ubi post sententiae
publicationem erunt publici juris facta; con-
fido candidum & doctum Lectorem habitu-
rum in quo planè acquiescat, meq; omnis no-
vitatibus excusatum habeat.

Agè verò Vitiligator, quid tu ad ista?
pag. 32. thes. 4. attribuis mihi quod scripse-
rim: Hominem post Lapsum posse sese
convertere iis supernaturalis gratiâ
igniculis, quos post lapsum habet in
natura corrupta reliquos, Respondeo hoc
esse purum putum Mendacium & atrocissi-
mam Calumniam. Decet ministrum Christi
esse veracem 2. Cor. 6. 8. Non ergo decebat

A 4. te

ze hanc tuam Rapsodiam ordiri à tam aperto Mendacio.

Asserui equidem ex Augustino Epistol. 95. & ex Erasmo Collat. de liber. Arbit. Gratiâ Dei quâ Creati sumus, seu Gratiâ Creationis. Dixi hanc gratiâ esse Supernaturalem: quippe quod omnis gratia sit Supernaturalis. Opposita enim sunt Gratia & Natura. Per Naturam intelligo Naturam corruptam: quo respectu Naturale propriè Supernaturali opponitur. At nunquã dixi, posse hominem sese hac solâ gratiâ convertere, sed posse hominem hisce igniculis uti ad Conversionem, Concurrente novâ Spiritus S gratiâ. Et verba Philippi: Cum quâ Spiritus S. simul est efficax, vel ad nauseam usq; ingeminavi.

Libertas enim Voluntatis seu Libera Voluntas est res Naturalis, quæ per peccatum non fuit amissa, nec amittitur. Ea non habet ex se potentiam ullam saltem proximam ad actus pietatis, sed habet eam à Deo per Gratiâ prævenientem. Et nemo potest Gratiâ desiderare, petere vel accipere, sine præveniente Gratiâ. Undè rectè Lutherus, Credo, inquit, me propriæ rationis meæ viribus

ribus Jesu Christo Domino meo fidere
& ad eum accedere nullo modo posse
Sed Spiritus S. per Euangelium me vo-
cavit. *Qua Lutheri verba ineptè & indo-
ctè & veluti (quod ajunt) Diabolus psalte-
rium citavit Vitiligator pag. 53. thes. 45.*

*Illud etiam Vitiligator quod dicit de Gra-
tia Salvifica, & non Salfivica, novum
est, nec invenitur illa distributio apud Ortho-
doxos. Tu novus scilicet Ecclesie Doctor pri-
mus eam invenisti. Omnis certè Dei gratia
à parte Dei finem habet salutarem; estq;
suapte natura salutaris. Quando autem
Homines per enormia peccata Gratiam gra-
tum facientem excutiunt; tum illo fine
excidunt. Et licet impij aliquid sepe
Gratie gratis date in usum proximi reti-
neant: non retinent tamen Gratiam gra-
tum facientem. Sic Judas aliq; multi impij
in illo die dicent, Domine, Nonne in nomine
tuo prophetavimus? Nonne in nomine tuo
Demonia ejecimus? Respondebit eis, Nescio
vos, Discedite à me omnes qui operamini ini-
quitate, Matth. 7. 22.*

*Posito tuo Mendacio, adducis Augusta-
nam Confessionem pag. 33. cujus auctoritate*

MS

malis-

malitiosè & flagitiosè abuteris; Nam per
 eam oppugnas sententiam non meam, sed eam
 quam mihi per mendacium affinxisti. Os im-
 pudens! Egone unquam dixi aut scripsi Hu-
 manam voluntatem habere libertatem &
 Vim sine Spiritu Sancto efficienda justi-
 tia Spiritualis? Egone unquam dixi aut
 scripsi Hominem animale percipere ea
 que sunt Spiritus Dei? Egone unquam dixi
 aut scripsi, quod sine Spiritu Sancto so-
 lis naturæ viribus possimus Deum su-
 per omnia diligere? Certè nunquam &
 nusquam. Cedo ubi ergo Contradictio inter
 Augustanam Confessionem & Intimationes
 meas? Hanc tu demonstrare volebas & de-
 bebas etiam, sed non potes: quippe quem non
 credam veræ contradictionis leges unquam
 didicisse.

Non dignabor te ulteriori responso, sed
 Lectorem compello, cumq; rogo, ut effrena-
 tam tuam in mentiendo & calumniando
 licentiam observet. Nullum est in Scopis Ve-
 scarijs Assert. 9. & 10. meorum argumen-
 rum, in quo non disertè posuerim verba
 hæc, Concurrente nova Spiritus San-
 cti Gratia, & tamen cogor hæc tua
 ferre

ferre. tam manifesta mendacia, & atroces
pati calumnias, quibus me Pelagianismi
palam accusas, & procul omni pudore co-
ram toto mundo proscindis.

Nec nego in homine Cor lapideum ne-
dum ligneum aut Klotzicum unbehelst
Ezech. cap. 11. vers. 19. & cap. 36. vers. 26.
& quicquid Scriptura habet ejusmodi simi-
litudinum. Axioma est Theologicum, Si-
militudines non convenire in omni-
bus. Disparata non possunt de se mutuo præ-
dicari: Ergo homo non est lapis prædicatione
essentia. Sed ex accidenti prædicatur lapis
de homine. Accidit enim lapidi, ut similitu-
dinem gerat cum homine ob duritiem. Hanc
ego duritiem cum Philippo & ex Philippo di-
versis in locis asserui & confessus sum,
neq; negavi unquam in nondum renatis,
quin dixi verbis Philippi non subito sanari
hoc naturæ vulnus, ne in renatis quidem, in
quibus per Baptismum reatus peccati Origi-
nis tollitur, ipsum verò ejus materiale ex par-
te manet, perpetuis assiduissq; Ecclesia exerci-
tjjs veluti dolabrâ exterendum expolien-
dumq;. Agè dic Sycophanta, ubi ergo Con-
tradictio inter Agendas Megapolenses Phi-
lippicæ

lippicas, & mea programmata? Rogo te can-
dide & docte Lector, ut observes non ligne-
am, non lapideam, sed ferream prorsus ne di-
sam Diabolicam impudentia frontem, hujus
Mendaciorum magistri & Architecti. Quae
ego de Gratia dixi scintillis in natura reliquis:
haec ille ad Naturam ipsam refert, & quae ego
(ut in proverbio est) dixeram de alijs ille
refutat tanquam dicta de caepis, non servans
Contradictionis legem κατὰ τὸ αὐτὸ secun-
dum idem. Norunt vel pueri in scholis Sub-
stantias agere per Qualitates. Unde pro di-
versitate qualitarum sunt actiones diverse.
Actio naturalis editur à Natura per se, quae
est pure naturalis, & potentias habet na-
turales. Actio peccatrix editur à Natura
quae est peccato infecta. Actio pietatis editur
à Natura, quae est praedita supernaturali gra-
tia. Hec iste Blax nescit distingvere. Agen-
das Megapolenses dicit à Philippo conscriptas,
& tamen contra Philippum interpretatur, Phi-
lippi autoritatem modo extollit, modo depri-
mit, imò calumnijs infectatur & incessit. Ho-
mo cum Philippo comparandus perinde atq;
Simei cum Davide 2. reg. 5. 13. Miserum
me! qui inciderim in talem Adversarium,

non Theologum sed Matteologum, seu Battologum, sed spermologum.

Tandem (Deo gratias) pag. 34. thes. 7. prodit Syllogismus, ex quo velut ex ungue leonem hunc Disputatorem astimare liceat. τὸ κενόμενον Vilitigatoris est. Homo post lapsum non habet supernaturalis Gratiae igniculos. Medius terminus est, quia non habet iudicium rationis, per quod sit idoneus in ijs quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare aut peragere. Forma Syllogismi est,

Quisquis non habet iudicium rationis per quod sit idoneus, in ijs quæ ad Deum pertinent, sine Deo, aut inchoare aut peragere: is non habet igniculos supernaturalis Dei Gratiae.

Atqui homo post Lapsum non habet iudicium rationis, per quod sit idoneus in ijs quæ ad Deum pertinent, sine Deo, aut inchoare aut peragere.

Ergo homo post lapsum non habet igniculos supernaturalis Dei Gratiae.

Respondeo verba illa **Sine Deo** vel sola satis arguere hujus aselli imperitiam, non distingvētis inter actiones purè naturales & supernaturales. In ipso inquit Apostolus, vivimus

move.

movemur & sumus. Nulla est Creatura, ne Diabolus quidem ipse, quæ se movere possit sine Deo. Debuerat ergo Disputator pro verbis Sine Deo ponere sine supernaturali Dei gratiâ.

Deinde verba quæ ad Deum pertinent, & ipsa generalia sunt: pertinent enim ad Deum non modò Supernaturalia, verum etiam Naturalia omnia. Pro his igitur ponere debuerat, quæ ad Salutis negotium pertinent. Rogo te doctè Lector etiam atq; etiam, ut vel ex hoc solo argumento videas, quantus hic homo sit asellus tum in Theologia tum in ipsa etiam Logica. Sed ad rem.

Nego connexionem attributi cum Subiecto in Majore propositione. Nam igniculi illi non sunt sine Deo, nec sunt Naturales, sed sunt Dei donum gratiosum supernaturale datum in ipsa Creatione, quæ veluti rudera supersunt ex illa misera Adami ruina; & veluti fomes ad recipiendum ignem Spiritus Sæcti in Conversione, non equidè sola, sed conjuncta cum gratiâ Excitante, Adjuvante & Suscipiente. Hæ inquam Gratiæ constituunt Causam illam Recipientem Philippicam, cum qua Spiritus Sanctus simul est efficax:

Notæ

Non habet ergo Homo iudicium rationis per se, quâ Naturale est, idoneum ad actus pietatis proximè, sed interveniente eâ quam dixi Gratia supernaturali.

Ipsium ergo, quod in Conclusionè continetur, hujus (si Dÿs placet) magni Disputatoris Krinomenon est falsissimum & dignum quod ad Primanos scholæ particularis mittatur exhibendum.

Simili responso & distinctione expediuntur reliquæ Vilitigatoris argutationes in hoc puncto Liberi Arbitrij pleræq; omnes. Sola inquam distinctio inter hominem animale seu naturalem, hominem peccato corruptum, & hominem gratia Dei donatum, dissipat & in fumû agit omnes hujus Holophantæ cavillationes, quibus proinde singulis in specie refutandis manum non admovebo.

Quicquid est Pelagianum, inquit, id omne rejiciendum est. Atqui Intimatoris igniculi supernaturalis gratiæ sunt Pelagiani. Ergo rejiciendi. Nego Minorem, cujus falsitas patet in suprapositis. Nunquam tu Vilitigator verâ mihi Pelagianismi definitionem, quam adhuc ignorare videris, affricabis nisi per mendaciâ aut imposturam sycophantâdi.

Quin

Quin tu ipse Vitilitigator, vide etiam
atq; etiam, ne ipse sis Pelagianus, & quidem
duplò Pelagianus, qui novo loquendi genere
scribis dari Actiones quæ fiant sine Deo, &
dari res, quæ ad Deum non pertineant.
An tu Asine putas res & actiones, quas Theo-
logi vocant purè naturales, esse sine Deo?
& ad Deum non pertinere? Ipsa tua
Mendacia non sunt sine Deo, quæ sunt A-
ctiones purè naturales. Quæ verò sunt
Mendacia: eatenus non sunt actiones purò
naturales, sed præternaturales aut potius
contranaturales, quas Natura tua edit non
proximè sed interveniente Diabolo & pec-
cato.

Declinare à malo & facere bonum, psal.
33. vers. 14. 15. psal. 36. vers. 27. & 1. Pet.
3. vers. 10. 11. ambo sunt in predicamento
Actionis, & quidem in Genere Actionum su-
pernaturalium. Tu non vis prohibere seu
coercere linguã tuam à mentiendo, quia non
potes habere Velle ad prohibendum coercen-
dumq;: quippe merè passivus ad actio-
nem supernaturalem. Ergò rotat te Dia-
bolus tanquã merè passivum, & naturam
tuam corruptam absolutâ necessitate
inevi-

inevitabiliq; Fato impollit, ceu merè passivum Archite Crepitaculum, ad mentendum & calumniandum. Quare & merè passivus es excusabilis, nec potest tibi merè passivo culpa adscribi tuorum mendaciorum.

Pag. 47. *Sycphantaris*, quod cognitionem Dei naturalem statuam sub nomine Gratia gratis datae. Adeo adhuc rudis es, ut nescias Vocabulum Gratia gratis datae modo rationem Generis habere, modo Speciei: sicut apud Jureconsultos Vocabulum Adoptionis. Omnis Gratia, lata significatione est Gratia gratis data: Ergo & Gratia Creationis. Quia, dicente Augustino, loco citato Epistol. 95. non praecedentibus aliquorum meritis, sed GRATUITA Dei bonitate donata est.

In eo etiam prodis tuam Ignorantiam, quod cognitionem Dei naturalem vocites Gratiam: pro quo dicere debebas opus Gratia Creationis gratis datae, seu, ut verba repetam D. Augustini Grâuitâ Dei bonitate donatae. Cognitio inquam Dei naturalis non est ipsa Gratia Creationis proprie

C

prie

*priè loquendo, sed est opus & effectus Gratia
Creationis: quæ quidem Gratia in hominis
Conversione concurrat cum Gratiâ expectan-
te, Gratiâ excitante, Gratiâ Adjuvante,
Gratiâ suscipiente, Gratiâ gratum faciente,
Gratiâ conservante.*

*Habet igitur homo ante Conversionem
eam Voluntatis libertatem, ut possit per Dei
Gratiam prævenientem bonum supernatu-
rale velle & malum præternaturale nolle.*

*Quod nisi concedamus; Dogma efflorescit
Absolutæ Necessitatis; quo nihil horri-
bilius ne cogitari quidem potest.*

*A quo equidem Dogmate Absolutæ Ne-
cessitatis vos excusare non potestis, id quod
probo 1. quia negatis in homine ante Con-
versionem Voluntatis libertatem, quâ possit per
Gratiam prævenientem velle bonum super-
naturale, & nolle malum præternaturale,
2. quia statuitis & docetis hominem in Con-
versione sese habere MERE PASSIVE.*

*Quare & post Conversionem in operibus
pietatis seu Supernaturalibus quâ homo, erit
mere passivus. Non enim tollitur distin-
ctio purè Naturalium & Supernaturalium in
Conversis.*

Sic

Sic argumentor. Quicumq̄ negānt in homine ante Conversionem Voluntatis libertatem, quā possit per Dei Gratiam prævenientem velle bonum Supernaturale, & nolle malum Præternaturale: illi in Ecclesiam introducunt perniciosum Dogma Absolutæ necessitatis.

Vos negatis in homine ante Conversionem Voluntatis libertatem, quā possit per Dei Gratiam prævenientem velle bonum Supernaturale & nolle malum Præternaturale.

Ergo vos in Ecclesiam introducitis perniciosum Dogma Absolutæ necessitatis.

Alterum Argumentum. Quicumq̄ statuunt & docent hominem in Conversione sese habere MERE PASSIVE: illi in Ecclesiam introducunt perniciosum Dogma Absolutæ necessitatis.

Vos statuitis & docetis hominem in Conversione sese habere MERE PASSIVE.

Ergo vos in Ecclesiam introducitis perniciosum Dogma Absolutæ necessitatis.

Dictum illud in Ecclesiâ celebratum, Qui te creavit sine te, non te salvabit sine te, ostendit certè & evincit Hominem,

quà homo, in operibus pietatis sese non habere merè passivè, verùm etiam activè, non equidem proximè, ut nuper dixi, ex propriis naturæ potentiis seu viribus, sed interveniente Dei Gratia præveniente, tanquam Causâ proximâ, cum quo consentit in scholis tritum Axioma, **Actiões sunt Suppositōrum.**

Quod si homo, quà talis, est merè passivus in actionibus Supernaturalibus: erit eadem ratione & merè passivus in actionibus Præternaturalibus: quia amba Qualitates tū Supernaturales tum Præternaturales non sunt de essentia hominis, sed sunt Accidentia extrinsecò advenientiâ, quæ ad ipsam constitutionē hominis, quà homo est, non pertinent.

Est igitur homo, quà homo, non merè Passivus sed & Activus, in Actionibus, quidē pietatis supernaturalibus mediante & interveniente Dei gratiâ: in Actionibus verò Impietatis præternaturalibus, mediante & interveniente peccato. Quare in illis audit vocem Domini Euge Serve bone: in his verò Serve male & piger, Matth. 35. v. 26. 27. Luc. 19. v. 17. 22.

Hiero.

Hierosolymitani habebant Voluntatis libertatem, quâ poterant per eam quam dixit Dei gratiam Velle aut Nolle converti. O Jerusalem, Jerusalem! quoties Volui filios tuos congregare, sicut gallina congregat pullos suos sub alas? & Noluiſti,

Cain habebat Voluntatis libertatem, ut per eandem Gratiam potuiſſet Nolle eadem fratris, & contrâ, ut contemptâ & repudiatâ Gratiâ, poſſet Velle eadem fratris.

Judas habebat Voluntatis libertatem, ut per eandem Gratiam potuiſſet Nolle proditionem Filij Hominiſ, & contrâ, ut ſpretâ & abjectâ Gratiâ, poſſet Velle proditionem Filij Hominiſ. Dicente Origine, Judas ſic prodidit Dominum, ut potuerit non prodere. Et Hieronymo: Aliquando juſtus, poſtea peccavit, & factus eſt reprobus & damnatus.

Quod ſi Cain abſolutâ neceſſitate habuit Voluntatem occidendi Abelem: non poteſt juſto Dei judicio condemnari ob eadem fraternam.

Si Cain merè paſſivus non habuit poteſtatem nolendi eadem fratris: non poteſt

B 3

juſto

justo Dei judicio condemnari ob internecionem Abelis.

Si Judas necessitate absolutâ habuit voluntatem prodendi & tradendi Christum: non poterit justo Dei judicio condemnari ob scelus proditionis & traditionis.

Si Judas merè passivus, non habuit potestatem nolendi proditionem Christi: non poterit coram justo Dei judicio de proditione Christi accusari & damnari.

Si Hierosolymitani necessitate absolutâ habuerunt voluntatem aspernandi invitationem Christi ad pœnitentiam: non poterunt ob spretum seu aspernatum Christum, coram justo Dei judicio accusari & condemnari.

Si iidem Hierosolymitani merè passivi necessitate absolutâ noluerunt converti: non poterunt ob illam Noluntatem, coram justo Dei judicio accusari & condemnari. Poterât, inquam, per Dei gratiam prævenientem habere Velle converti, sed repudiatâ gratiâ elegerunt Nolle converti, ideôq; inexcusabiles.

Ratio horum omnium est apud Optatum, Voluntas habet pœnam: Necessitas

tas

tas veniam. Homicida scelus potest
facere, potest etiam non facere. *Huc*
repeto Argumenta è Scopis Vescariis Af-
sert. 9. & 10.

Objicies fortasse, quod confundam exem-
pla nondum Conversorum cum exemplis eo-
rum, qui conversi rursus gratiâ Conversio-
nis exciderunt. Respondeo utrorumq; parem
& eandem esse rationem. Utriq; enim Con-
versione opus habent.

Addo superioribus, per Dogma absolu-
te Necessitatis, introduci in Ecclesiam Fa-
tum Stoicum, quod teste Plutarcho nihil
aliud fuit quàm nexus causarum inevitabi-
lium. Ergò secundum vos (qui negatis eam
quam dixi voluntatis libertatem, & asseritis
hominem in actionibus supernaturalibus sese
habere merè Passivè) quidam salvantur in
vitabili causarum nexu, & alij damnantur
inevitabili causarum nexu.

Quidam consolaturus furem tempore
Supplicij. Bono animo es, inquit, Hæc enim
aliter evenire non potuerunt, Wer hangen
soll/der verdrenckt nicht. Inevitabili necessi-
tate furatus es, inevitabili necessitate su-

*spendêris, inevitabili necessitate jam te facti
pœnitet, inevitabili necessitate salvaberis.*

*Similiter de Juda aliisq^{ue} facinorosis dice-
re liceat, inevitabili necessitate fur erat, ine-
vitabili necessitate pretio 30. argenteorum
Dominum prodidit, inevitabili necessitate
desperabundus seipsum suspendit, & demum
inevitabili necessitate aeternum damna-
tus est.*

*Ejusmodi portenta consequuntur ex ne-
gata Voluntatis libertate. De qua pro in-
stituto nostro, hoc jam loco plus satis. Pro-
gredior ad materiam de Baptismo.*

*Primum de Baptismo Mendacium con-
tinetur pag. 60. thes. 52. Ex sanctis paren-
tibus sancti nascuntur liberi, sanctitate,
fœderali & spirituali, ex Christianis Chri-
stiani. Program. 4. Febr.*

*Ad hoc apertissimum Mendacium re-
spondi. Intimat. in Bacchanal. Item Beylage
sub titulo Fundam. immot. & proleg. 3. & in
Confut. argut. 5. Præterea in Scopis Vesca-
riis. Assert. 1. Assert. 3. Assert. 4. Assert. 5.
Assert. 7. Assert. 8. Quæ si omnia hoc loco
repeterem, non modò actum denuò agerem,
verùm*

verum etiam infinitum laborem eumq³ minime necessarium susciperem, & litem transferrem ab Adversariis doctis & legitimis ad hunc asellum indoctum & irreptitium, quam & vincere inglorium, & à quo atteri, sordidum.

Respondebo tamen stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur, Prov. 26. 5. sed paucis. Ajo igitur Vocabulum Christianus esse concretum, cujus materiale sit homo, formale verò ipsa Christianitas. Christianus secundum materiale quò homo est, nascitur, & quidem nascitur in peccatis filius iræ: secundum formale quò Christianus est, non nascitur, sed fit renascendo. Si Vitiligator istam distinctionem è Ramo suo discere non potuit: discat eam tandem ex Philippo, ego hunc asellum amplius scabere, & hunc Æthyopem lavare nolo.

Nunquã & nusquã dixi Sanctorũ liberos sanctos Nalci, sed dixi cum Paulo sanctos ESSE, 1. Cor. 7. 14. nõ certè per generationẽ, sed per regenerationẽ, dicente Pomerano, darumb bedürffen die arme Kinder auch in Mutterleibe / daß sie mit dem heiligen Geiste durch
 D V Chri

Christum anderweit geböhren werden. Das auch Gott beweiset an S. Johannes Baptisten/ welchen er annimpt/ heiliget / vnd teuffet mit dem heiligen Geiste in Mutterleibe/ Luc. 1. *Et iterum*, da ich dieses geschrieben hette von den Kindlein / laß es vnser lieber Vater D. Martinus Luther, vnd hette einen Wolgefallen dran. Dieweiln es auch seine Ehrwürde mir befohlen hette/ daß ich solches solte schreiben.

Quod verò Vitilitigator infert, Ergo vanum esse Baptismum, si regeneratio fit in utero materno. Et vice versa, si in Baptismo fit regeneratio: Ergo non fieri in utero materno. Id nullius est ponderis. Nam non est insolens eandem rem sepius fieri, repeti & confirmari alio atq; alio modo. Regiæ largitiones, inquit magnus quidam Theologus, quàm primùm concessæ sunt, sine controversia ad nos pertinent: postea tamen adduntur oblationes, ut regis voluntas, si sit opus, aliis testata esse possit. Non sequitur, Remittuntur peccata in Cœnâ Dominica: Ergo non fuerunt remissa in Baptismo. Et vice versa. In Baptismo facta

facta est remissio peccatorum: Ergo non fit remissio peccatorum in Cœna Dominica.

Reliqua non prosequar, Causas subinde indicavi, quia habeo de hac ipsa materia, Litem pendentem coram Judicio legitime constituto, & in ea lite Actores seu Adversarios doctos, cum quibus decertare sit honorificum, Illam ego litem legitime inceptam deserere, & cum hoc asello pedem conferre nolo. De quo pronunciare liceat vulgò dictum:

*Hoc scio pro certo quod si cum
stercore certo:*

*Vinco seu vincor, semper ego
maculor.*

CAPUT III.

B*oni Disputatoris est, non Diverticula
querere, sed rectâ viâ Adversarium ag-
gredi, ipsiusq; jugulum petere. Habebat Vi-
tilitigator Acta Judicij quæ passim in hac
sua Chartabellâ famosâ allegat, Habebat in
eis Statum Controversiæ rectè formatum,
Habebat utriusq; partis maximè mea τὸ κρι-
νόμειν, Habebat medios terminos, Habebat*

not.

non Enchymata, non Sophismata, sed Syllogismos in legitima forma dispositos per regulam de Omni & de Nullo, quibus vel causam per effectum vel vice versa effectum per Causam demonstrabam. Hanc ille methodum turbare & deserere, & ad Diverticula deflectere non debuerat.

Et cum clamarem quò se nunc proripit ille?

Tytere coge pecus: tu post carecta latebas.

Vagatur per ambages, per avia, per dumeta, per sentes, per vepres, & subinde Enthyma, aliquod aut Elenchum sophisticum ejaculatur, suumque τὸ ergo, ergo, ergo, &c. una pagella sepius eruñctat. Risi subinde hominis φιλαυτία & stultitiam, qui res ita varias & dispares conjungeret, perinde atque Praxilla Adonis Solem, cucumeres, & mala. Mihi certè non est integrum saltare ad lyram & præscriptum hujus Choragi, aut potius Choraulis.

Sit in epistola ad Lectorem, se in hoc exercitij genere antehac versatum, ideoque voluisse hanc rapsodiam famosam
con-

congerere, quã succurreret in hac pale-
 stra minus exercitatis. Quo quidem lo-
 co non possum non meminisse Elibu filij Ba-
 rachel Job. 32. vers. 17. dicentis nisi loque-
 retur, fore ut ipsi Venter rumperetur, nam
 sapientiã non in capite gerebat sed in ventre.
 Ostendam, inquit, scientiam meã. Plenus sum
 enim sermonib9, & coarctat me Spiritus uteri
 mei, & Venter meus quasi mustum absq; spi-
 raculo, quod lagunculas novas dirumpit.
 Lutherus vertit: Ich wil meine Kunst beo-
 weisen/ denn ich bin der Rede so voll/ daß mich
 der Odem in meinem Bauch engset. Eibel/
 mein Bauch ist wie der Most/ der zugestopffe
 ist/ der die newe Fesse zureisset/ Ich muß re-
 den daß ich Odem hole/ Ich muß meine Lipo-
 pen auffthun/ etc.

In eundem ferè modum iste Vitilitigator,
 tacentibus aliis, ceu partus immaturus in lu-
 cem prorumpit, quasi unus omnium aptissi-
 mus ad vitilitigandum. Licebat illi per me in-
 tegrum Volumen Locorum Communium com-
 pilare, sed non licebat illi Acta litis mea co-
 ram Iudicio legitimè constituto pendentis,
 ante Sententiam latam, è iudicio eximere,
 & publicè scripto famoso exagitare.

Nec me solum, sed ipsum etiam Philippum totius Germania praeceptorem miserè flagellat, & impiè petulanti lingua proscindit pag. 50. 54. 55. &c. & contra hunc allegat Hutterum Heshusium, aliosq; id genus homines, qui à mille parasangis cum Philippo non sunt comparandi.

Quin ipsas Agendas Megapolenses à Philippo (ut ajunt) conscriptas stolidè contra Philippum torquet. Nam fingit Contradictiones inter Attributa, quæ de eodem Subjecto predicantur non κατὰ τὸ αὐτὸ secundum idem, nec distinguit inter hominem peccato corruptum, & hominem gratiâ Dei armatum, v.g. Homo potest velle converti, & Homo non potest velle converti: non sunt verè Contradictoria: quia non dicuntur secundum eandem Subjecti proprietatem & conditionem.

Nomina contumeliosa quæ Deekelnashomen appellant, quibus per totum hoc scriptum me insignit & honorat, multa sunt, Intimator, Pelagianus, Papista, Philippista, Calvinianus, Arminianus, habens perversum ingenium, & infoelix studium hære-

hæreticorum dogmatum propagandum, impudens, capite Medusæ armatus, Confessionis Augustanæ, Lutheri, Melanthonis, Pomerani auctoritatem à se stare falso affirmans, Adversarius, & Contradictor Agendarum Megapolensium, furibundus, prodiens è Pelagij, Arminianorum, Scholasticorum & Cinglij lacunis, Medicus-theologus, sibi contradicens, statuens Infantes fidelium nasci sanctos, Valentinianus, Manichæus, Borborita, Anabaptista, Infantibus derogans fidem, Petulans, qui debeat Galenum scrutari, & docere non Codicem sacrum, qui non debeat currere non missus. Doctor natus sine eruditione, sed cum multa stupiditate, habens Chrysippæum acumen, crassus, Spiritus Sacramentarius, busto proximus: *nimirum, vult Vitilitigator morem revocare comburendorum hæreticorum. Miror quod non etiam Turcam me fecerit, quia credo cum Turcis Deum creasse Solem & Lunam: & Judæum, quia credo cum Judæis Moysen fuisse Prophetam.*
Obse,

Obsecro te benevole Lector, quid facerem tam strepero Crepitaculo? Reipsa comperio in isthoc homine verissima esse, quae scripsit magnus ille Zacharias Ursinus, de iis qui Ramistica methodo informantur. Hos ait nihil nisi audaces & impudentes blaterones ac fanaticos nugatores (kühne unverschämte Schwelger / vnd schweiffende Blattergeister) evadere, qui nullis terminis se contineant, nec argumentum rectè formare, resolvere aut judicare, nedum bonam argumentationem à prava & Sophistica discernere, illam evincere & obtinere, hanc expedire, luculenter & solidè solvere & refellere norint.

Itaq; missum faciam istum à sellum, ubi de uno adhuc cum ipso transfegerim. Agè Vilitigator! Vocas me injuriosè Intimatorem. An verò te hominem scilicet Theologum non pudet legitimum Magistratum, tuum, incessere convitiis, contra manifestum Dei verbum & maximè contra 5. Decalogi Praeceptum? Nec verò potes elabi destinatione inter Rectorem & Intimatorem: nam
 hac

hæc duo attributa prædicantur de eodem
 Subjecto κατὰ τὸ αὐτὸ, secundum eandem
 Subjecti proprietatem & conditionem, & In-
 timationes meas Rectorales scripsi quæ Re-
 ctor, præfixo Rectoris titulo & appenso sigillo.
 Cum ergo me per contemptum Intimato-
 rem vocas: tum contra Juramentum Recto-
 ri & Academia præstitum, conditiaris magi-
 stratui tuo, & hoc ipso es perjurus. Hanc tu
 labem nunquam elues.

Ante non terret exemplum puerorum,
 qui Prophetam Eliseum per contemptum in-
 clamabant Καλκὸς / Καλκὸς / neq. justum Dei
 judicium extimescis, qui hanc tuam proter-
 viam & petulantiam aliquando sit ulturus?

Præfagiebat jam tum animus tibi cum
 primùm huic centoni consuendo manum ad-
 moveres, & dictabat ipsa tibi conscientia
 tua, fore ut hoc tuum scripturiendi cacoethes
 tibi vitio verteretur, tuq. ob scriptiorem
 hanc temeritatis adeoq. & πολυπραγμοσύνης
 reus peragereris. Rectè tu quidem ista. Sic
 argumentor.

Omnis qui litem alienam in Judicio le-
 gitimè constituto, coram Judice ordinario
 C adhuc

adhuc pendentem, nondum latâ sententiâ definitivâ, in publicum evocat, Statum Controversiæ ipsaq; Partium τὰ κριόμενα cum mediis terminis in solenni argumentorum forma disposita mutat, procedendi actum legitime inceptum dirumpit & litem alienam intempestivè suam facit: is est temerarius Vitilitigator.

Atqui Jacobus Dursfeldius litem alienam, in Judicio legitime constituto, coram Judice ordinario adhuc pendentem, nondum latâ sententiâ definitivâ, publico scripto turbat, ad disceptandum in publicum evocat, Statum Controversiæ ipsaq; partium τὰ κριόμενα cum mediis terminis in solenni argumentorum formâ disposita mutat, procedendi actum legitime inceptum dirumpit, & litem alienam intempestive suam facit.

Ergo Jacobus Dursfeldius est temerarius Vitilitigator.

Alterum argumentum. Omnis qui se intempestivè rebus immiscet alienis, publica judicia legitime constituta turbat, & in eis Actoris partes ipse sibi rapit & capit, Statum controversiæ partiumq; τὰ κριόμενα mutat,

fat,

τα, ἡ πολυπραγμοσύνη & συκοφαντίας reus
est.

Atqui Jacobus Dursfeldius se intempesti-
vè rebus immiscet alienis, publica judicia le-
gitimè constituta turbat, & in eis Actoris
partes ipse sibi rapit & capit, Statum Con-
troversia partiumq̄, πᾶ κριόμενα mutat.

Ergo Jacobus Dursfeldius πολυπραγμοσύ-
νης & συκοφαντίας reus est.

Nunc audiamus tuas Exceptiones, quibus
te à temeritate & Curiositate excusare
conaris. Et quidem primo loco protendis
mentem recti consciam, hoc est, ut cum Apo-
stolo loquamur bonam conscientiam.

Tunc bonâ conscientia, contra Jura-
mentum Restori & Academia prestitum po-
tes Magistratum tuum ludicris, falsis & ri-
dicularum nominationibus incestere? Tunc
eum potes bonâ conscientia, crassis, putidis,
impudentibus & nunquam probandis men-
daciis aspergere?

Non dixi ego posse hominem sese conver-
tere, sed dixi posse hominem igniculis gratia
Creationis in Natura corrupta reliquis,
Concurrente nova Spiritus S. graria,

uti ad Conversionem. Et passim distinxi inter Naturam hominis corruptam, interq; Naturam hominis in puris naturalibus.

Non dixi infantes fidelium nasci Sanctos, sed Esse sanctos.

Non negavi Infantes fidelium nasci filios iræ, sed negavi esse filios iræ: quia non manet ira Dei super eos, sed tollitur per regenerationem.

Non negavi infantes Gentilium esse filios iræ ob peccatum Originis, sed dixi ob solum peccatum Originis: nam carentia divini fœderis & regenerationis in causa est, ut non liberentur à peccato. Itaq; Sophisma committis Compositionis & Divisionis: disjungis enim quæ erant conjungenda.

Nunquam etiam fui argumentatus à Nolle ad posse, sed à nolle ad posse velle: hæc enim purè Naturalia sunt, & à nolle converti ad posse velle converti: quæ non sunt purè Naturalia. Velle enim converti, acceptatio gratiæ est: Nolle converti repudiatio gratiæ est. Non erant Hierosolymitani merè Passivi, sed potuerunt per Gratiam Dei prevenientem habere velle converti, qui repudia-

pu^{di}atâ gratiâ prâveniente habuerunt nolle
converti. Potuerunt iidem concurrente nova
Spiritus S. gratiâ cõverti, qui repudiatâ gra-
tiâ non sunt conversi, neq^s potuerunt cõverti.

Atq^e hæc quidem hætenus de tua Bona
Conscientia. In quibus doctus Lector videt
te cum larvis luctari, quando non senten-
tiam meam oppugnas sed tua ipsius menda-
cia, tua ipsius commenta, tua ipsius somnia:
homo vanus & indoctus, qui nequedum
Statum Controversiæ de Libero Arbitrio re-
ctè intelligis, nescio Logica an Theologia im-
peritior. Reliquæ tuæ Excusationes non me-
rentur responsum, sunt enim calvæ, quibus
refutandis nolim papyrum commaculare.

CAPUT IV.

Vident Adversarij Sententiam meam
esse orthodoxam. Vident eam ad amuf-
sim congruere cum Scriptura sacra, Vident
eam nusquam discrepare ab Augustana Con-
fessione. Vident deniq^s cum Scriptis Lutheri
Philippi & Pomerani nusquam pugnare.
Querunt illi quidem & captant Contradi-
ctiones, sed veras contradictiones nusquam

inveniunt, Miserrimum Philippum miserrime tractant. Ajunt hunc esse authorem Agendarum Megapolenfium, & tamen Agendas interpretantur contra Philippum. Quin virum illum qui Coryphaeus fuit literatorum omnium totius Germaniae petulanti lingua proscindunt, sed non invenit locum ipsorum maledicendi & calumniandi studium apud doctos.

Cum itaq; in Intimationibus meis nihil contineatur, quod illi erroris possint convincere: tandem callidum consilium excogitarunt, hanc à se litem amandandi & ad alios derivandi. Subornarunt igitur hunc Vitiligitorem, qui hanc provinciam capefferet, eiq; Acta litis nostrae pendentis communicarunt, è quibus iste Holophanta producta mea sibi sumeret sugillanda & exagitanda ex eisq; Contradictiones fingeret homo legum veræ Contradictionis ignarus, texeretq; elenchos Sophisticos, quorum consequentia nulla, id quod judicandum relinquo hominibus doctis & artis Logicae peritis.

Dixi de fine Adversariorum meorum principalium: Queritur de ipso Vitiligitore,

tores,

tores, quo sine hunc scriptitandi laborem in se
recepit. Iste verò finis omni Vulgo in ore
est, nimirum duplex Aucupium, popularis
aura & promotionis ad functionem aliquam
sive Scholasticam sive Ecclesiasticam.

In priori persimilis est **Heroftrato** illi,
qui referente Gellio, nominis & fame libidi-
ne templum Diana Ephesia incendebat, seq̃
ipsum in medias flammis precipitem dabat.
Arachne ausa fuit certare cum **Minerva**
delanificio, & **Tamyras** Poëta **Thrax** cum
Musis de cantu certamen suscipere: quam-
obrem ab iisdem exoculatus dicitur. Refere
Erasmus de quodam **Hannone** Carthagi-
nensi, quod aves capere solebat, quas hanc
edocebat vocem **Deus est Hanno**. Simi-
liter videtur hic **Vitiligator** aves capturus,
quas doceat hoc suum **Axima** sonare, **Actio-**
nes purè naturales fiunt sine Deo,
& in rebus ad Deum non pertinen-
tibus. Tum illud etiam: In actioni-
bus **Supernaturalibus** **Homines** sese
habent merè **Passivè**. Itemq̃ & illud.
A nolle ad posse velle non valet argu-
mentum. Tum alia multa de **Infantum**

C 4 pecca-

peccato & fide actuali, & salvatione immediata &c.

In altero videtur emulari exemplum Ap-
pionis Grammatici Alexandrini, qui tantâ
fuit arrogantia, ut ei immortalitatem polli-
ceretur, cui opera sua nuncupasset. Tanti
faciebat ipse sua scripta, quem strenuè iste
Thrax Blax imitatur in Prefatione hujus
sue famose Rhapsodie. Miseras Scholas! mi-
seras Ecclesias! quibus tales contingunt bla-
terones, ad stivam aptiores, quàm ad guber-
nacula Ecclesie.

CAPUT V.

Herebam vellemne homini respondere.
Hannon? Principio apud me statuebã, nõ
non esse respondendum, ob hanc gravissimam
causam, ne litem meam pendentem ipse tur-
barem, & alicujus à τὸ ἔλας ipse author essem.
Cogitabam satius esse expectare legitimam
transmissionem Actorum, & accepto Respon-
so, Acta omnia pralo subicere, deq; iis Lectori
committere judicium.

Alter a ratio erat, ne Actum denno age-
rem, Cum enim in Actis ad amussim & accu-
rate

ratè responderim omnibus Adversariorum
argumentis: obsecro cur eandem telam re-
texerem in gratiam hujus aselli?

Moverunt tamen quidam amicorum ne
ad tantum mendaciorum, injuriarum & ca-
lumniarum plaustrum plane conticesserem,
sed aliquid saltem generaliter responderem
tantisper dum ipsamet Acta, publici juris
facta in lucem prodirent. Quorum consilio
parendum censeo.

Tum illud etiam in mentem veniebat,
quod Lutherus, inquit in *Versione sua Ger-
manica Prov. 26. 4.* Antworte dem Narren
nicht nach seiner Narheit: daß du ihm nicht
auch gleich werdest. Antworte aber dem Nara-
ren: nach seiner Narheit: daß er sich nicht
weise lasse düncken. *Hac itaq; Lector benevole*
habe tantisper dum Acta plena Litis nondum con-
fecta seu finita accipias, meq; hominem senem, &
adversa insuper valetudine laborantem, tum prete-
rea consilio malignantium misere divexatum &
pressum juva & subleva tuis ad Deum precibus. Vale.

Dabam Rostochij 23. Januarij, Anno

Christi.

qVI nesCIt soLennes eXaCtæ & perfeCtæ
ContraDICtIonIs Leges; Is Ipse ne
DisVtato.



INDEX.

A.

- A**bsoluta necessitas. 14. 16. 17. 19. 20. 21. 22.
*Absoluta necessitatis Dogma introdu-
citur, negat à Voluntatis libertate.* 16.
*Absoluta necessitatis Dogmate admisso: se-
quitur Fatum Stoicum.* 21. 22.
*Actio Vitilitigatoris Sine Deo & in rebus
ad Deum non pertinentibus.* 11.
Actio purè naturalis an fiat Sine Deo? 14.
*Actio purè Naturalis an fiat in rebus ad
Deum non pertinentibus?* 11. 14.
An detur Actio Sine Deo? 11. 14.
*An dentur res ad Deum non pertinen-
tes.* 12.
Actionum differentie, 10.
*Actiones Supernaturales sola Vitilitigatori
ad Deum pertinent.* 11.
Actiones sunt Suppositorum. 18.
Actiones Praternaturales seu Impietatis.
10. 18.
Actio purè naturalis editur à Naturà per se.
10.
*Ad actiones pietatis homo non habet ullam
poten-*

| | |
|---|----------|
| potentiam proximam, sed habet eam à Deo per Gratiã prævenientem. | 6. |
| Adversariorum importunitas. | 2. |
| Agendas Megapolenses Philippicas torquet Vitilitigator contra Philippum. | 9.10.25. |
| Argumentum à Nolle ad posse. | 34. |
| Augustana Confessione Vitilitigator flagi- tiosè abutitur. | 7.8. |
| Axioma. Actiones sunt Suppositorum. | 18. |
| Ax. Qui te creavit sine te: non te salvabit sine te. | 17. |
| Ax. Necessitas habet veniam: Voluntas pe- nam. | 20. 21. |
| Ax. Wer hangen sol/ der vertrenck t nicht. | 21. |
| Ax. Christianus fit, non nascitur. | 23. |
| Ax. Similitudines non conveniunt in omni- bus. | 2. |
| Ax. Substantia agunt per qualitates. | 10. |
| Ax. Homicida potest scelus facere & non fa- cere. | 21. |
| Ax. Judas sic prodidit Dominum; ut potue- rit non prodere. | 19. |
| Axiomata Vitilitigatoris. | 36. |
| O. | |
| Cain non merè passivus, potuit nolle cædem fratris. | 19. |
| | Cau- |

| | |
|---|-----------|
| <i>Causa Recipiens Philippica.</i> | 5. 6. 12. |
| <i>Christianus non nascitur.</i> | 23. |
| <i>Collyrium.</i> | 2. |
| <i>Conscientia Vitilitigatoris,</i> | 31. |
| <i>Consilium callidum Adversariorum</i> | 36. |
| <i>Contradictio ficta & mendax, vana & falsa.</i> | 8. 9. |
| <i>Contradictionis verae requisita nunquam didicit Vitilitigator,</i> | 8. |

D.

| | |
|---|-----|
| <i>Declinare à malo, & facere bonum, ambo sunt Actiones Supernaturales.</i> | 14. |
| <i>Distinctio Hominis.</i> | 13. |
| <i>Dolabra Ecclesie.</i> | 6. |

E.

| | |
|--|-----|
| <i>Ecclesie Exercitia sunt instar dolabrae.</i> | 6. |
| <i>Effectus Gratiae Creationis, non est ipsa Gratia.</i> | 16. |

F.

| | |
|--|---------|
| <i>Fatum Stoicum.</i> | 21. 22. |
| <i>Finis Strygnij Vitilitigatoris.</i> | 3. |

G.

| | |
|--|-----------------|
| <i>Gratia Creationis</i> | 3. |
| <i>Gratiarum differentia.</i> | 3. 4. 6. 7. 10. |
| <i>Gratiarum concursus est instar fomitis.</i> | 5. 12. |
| <i>Gratia non Salvifica Vitilitigatoris.</i> | 7. |

H.

| | |
|---|-----|
| <i>Homicida potest scelus facere & nō facere.</i> | 21. |
|---|-----|

Homi-

Hominis distinctio. 13.

Homo an merè Passivus in actionibus Supernaturalibus. 6. 14. 17. 18. 19. 20. 21.

Si Homo est merè Passivus in Supernaturalibus: erit eadem ratione & merè Passivus in Præternaturalibus. 18.

I.

Igniculi in Naturâ, non sunt Naturales, sed Supernaturales. 12.

Igniculi Gratia Creationis in Naturâ humanâ corrupta reliqui, non sola constituunt Causam Recipientem Philippicam. 12.

Intimator vox contumeliosa. 30. 31.

K.

Kind in Mutterleibe anderweit geboren. 24.

L.

Libertas Voluntatis est Res Naturalis, quæ non amittitur per peccatum. Non habet potentiam ullam proximè ad Actus pietatis. 6.

Lingvam coercere & prohibere à mentiendo, est Actio Supernaturalis. 14.

Lutherum citat Vitilitigator, sicut Diabolus Psalterium. 7.

M.

Mendacia Vitilitigatoris. 5. 6. 8. 9. 14. 22. 34.
Natu-

N.

Naturalis Libertas Voluntatis. Vide Libertas.

Natura Hominis corrupta, & Natura hominis in puris Naturalibus differunt. 34.

Necessitas habet veniam, Voluntas pœnam. 20. 21.

Negata libertate voluntatis introducitur Dogma Absolutæ Necessitatis. 16.

Necessitas absoluta introducitur Fatum Stoicum. 21. 22.

Nomina contumeliosa, Deckelnahmen. 28.

O.

Opus. Vide Actio, Deckelnahmen. 23.

P.

Non est homo merè Passivus, neq; in Naturalibus, neq; in Supernaturalibus neq; in Praternaturalibus. 10. 16. 17. 18. 19. 20.

Pelagianismus. 9. 13.

Perjurium Vitilitigatoris. 31.

Philippum flagellat Vitilitigator. 28. 36.

Portenta Dogmatis Absolutæ Necessitatis. 22.

Praternaturales actiones edit homo per intervenientem naturæ corruptionē, 10. 18.

Proxima Causa actionum Naturalium est Natura per se. 10.

Proxi-

Proxima Causa actionum Supernaturalium est Dei Gratia. 10.

Proxima causa actionum Praternaturalium est Corruptio Naturæ. 10.

Q.

Qui te creavit sine te: non te salvabit sine te. 17.

R.

Regenerantur in utero materno infantes fidelium. 23.24.

Res eadem potest fieri & repeti sæpius, alio atq; alio modo. 24.

Res Vitiligatoris ad Deum non pertinentes. 12.

S.

Scope vescariæ. 2.5.

Similitudines non conveniunt in omnibus. 6.

Statum Controversiæ de Libero Arbitrio ignorat Vitiligator. 10.13.

Supernaturales actiones edit homo, per intervenientem Dei gratiam ut Causam proximam. 10.

Suppositorum sunt Actiones. 18.

Syllogismus Vitiligatoris. 11.

V.

Vescæ seu araneorum tela. 1.

Vescariæ scope. 2.5.

Vitiligator statuit Hominẽ in Conversione & operibus Supernaturalibus merè Passivum. 16.17.18.19.20.

Vitiligator statuit Dogma Absolutæ Necessitatis. 16.

Vitiligator introducit Fatum Stoicum. 21.22.

Vitiligator est Architeg Crepitaculum merè Passivum. 51.

Viti-

| | |
|---|-------------------------|
| <i>Vitilitigator flagellat Philippum.</i> | 28. |
| <i>Vitilitigator torquet verba Lutheri.</i> | 7. |
| <i>Vitilitigator torquet Augustanam Confessionem.</i> | 7. 8. |
| <i>Vitilitigator torquet Agendas Megapolenses.</i> | 9. 10. 28. |
| <i>Vitilitigator fingit & metitur Cōtradiçiones falsas.</i> | 8. 9. |
| <i>Vitilitigator est perjurus.</i> | 31. |
| <i>Vitilitigatur ell contumeliosus.</i> | 28. |
| <i>Est temerarius.</i> | 31. |
| <i>Est πολυπεσώντων, Φιλοπεσώντων, Curiosus, rebus sese ingerens alienis.</i> | 31. |
| <i>Est jaçt abundus.</i> | 26. 27. |
| <i>Est blatero.</i> | 30. |
| <i>Est partus immaturus.</i> | 27. |
| <i>Statuit açtiones Sine Deo.</i> | 21. |
| <i>Statuit res ad Deum non pertinentes.</i> | 12. |
| <i>Vitilitigator disputando impugnat non sententiara alienam, sed sua ipsius commenta, sua ipsius somnia.</i> | 8. 22. 35. |
| <i>Vitilitigator ignorat Statum Controversia de Libero arbitrio.</i> | 10. 13. |
| <i>Vitilitigator est Sycophanta.</i> | 31. |
| <i>Vitilitigator est mendax.</i> | 5. 6. 8. 9. 14. 22. 34. |
| <i>Remittitur ad pueros in scholas.</i> | 10. 13. |

W.

Wer hangen sol / der errencke nicht. 21.

Errata Typographica.

Pag. 1. ista lege *Jste*. Pag. 2. de Grepitaculo, lege *Crepitaculo*. Pag. 4. subqvitur, lege *subseqvitur*. Pag. 13. *supernaturali*, lege *supernaturali*. Pag. 15. *repollit*, lege *impellit* *ibid*. Math. 35. lege 25. Pag. 19. *Caim* lege *Cain*. *ibidem* *Originis* lege *Origenis*. Pag. 23. *quam & vincere* lege *qvem*. Pag. 26. *Enclimata*, lege *Enthymemata & Enthyma*, lege *Enthymema*.


25)0(55)

A. Sendmann.



37
 tore, quo sine hunc scri
 receperit. Iste verò f
 est, nimirum duplex
 aure & promotionis ad
 sive Scholasticam sive
 In priori persimilis
 qui referente Gellio, n
 ne templum Diana Ep
 ipsum in medias flamm
 Arachne ausa fuit
 delanificio, & Tamy
 Musis de cantu certam
 obrem ab iisdem exocu
 Erasmus de quodam
 nensi, quod aves cape
 edocebat vocem Deus
 liter videtur hic Viti
 quas doceat hoc suum
 nes purè naturale
 & in rebus ad De
 tibus. Tum illud
 bus Supernaturali
 habent merè Passiv
 A nolle ad posse ve
 mentum. Tum alia

em in se
 ro in ore
 popularis
 aliquam
 ato illi
 & libidi
 at, seq
 e dabat.
 Minerva
 ax cum
 quam
 Refere
 arthagi
 vas hanc
 Simi
 apturus,
 Actio
 e Deo,
 rtinen
 ctioni
 es sele
 & illud.
 et argu
 infantum
 pecca



the scale towards document